



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

3. De diuisione quantitatis vt sic in continuam & discretam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

forma absoluta, sed sufficere possent tales uniones & tales distantia partium à se inuicem.

Quomodo  
dicitur pos-  
se, quod  
quantitas  
non distin-  
guatur à  
substantia.

61. Hæc sane mihi semper difficilem reddebant sententiam nostram & communem, & probabilitatem suadebatur sententiæ negantis, quod daretur aliqua quantitas distincta realiter à substantia & accidentibus, quæ esset forma absoluta, & cuius munus esset extendere partes substantiæ & accidentium cum impenetrabilitate; & quia attribuimus supra alium effectum quantitati absolute, nimirum subiectare immediate qualitates, propter experientiam illam de calefactione Eucharistiæ per agens naturale.

Adde ulterius in confirmationem vltiorem huius sententiæ negantis, quod quemadmodum Deus miraculose concurret cum igne ad producendam formam ignis in illis speciebus creando de nouo materiam primam, quæ sit subiectum istius formæ, sine quo concursu miraculose nequirit ignis producere ignem in illis; similiter posset dici quod concurret miraculose cum calefactiuo, ad producendum calorem in illis speciebus, non quidem producendo subiectum nouum, ut in casu altero, sed supplendo defectu talis subiecti per concursum aliquem particularem.

Et si dicatur, quod tunc causa secunda crearet, Respondetur posset iuxta satis communem sententiam, quod non esset inconueniens causam secundam creare concurrentem Deo miraculose, & supernaturaliter cum illa; quæ responsio à maxima parte recentiorum tenentium nostram conclusionem admitti debet, & licet à Scotistis forte negaretur, difficile tamen erit ipsis dare implicantiam cur id repugnet.

Respondetur etiam posset secundo, negando sequelam, quia creatio posset dici productio rei sine dependentia à causa materiali, aut ab illo alio supplente defectum causæ materialis: talis autem productio non competeret calefactiuo in casu prædicto.

Respondetur posset tertio, quod istæ productiones non prouenerent à causa secunda, quæ nequit in illo casu creare, si non sit vera prima sententia; sed à solo Deo miraculose, nec hoc miraculum magis difficile creditur est quam alterum supplendi defectum subiecti.

62. Nihilominus in fauorem communis sententiæ respondeo ad hoc fundamentum concedendo, quod quantitas ex entitate sua absoluta præcise & formaliter non habeat partes extra partes cum proportionem ad partes loci, aut cum distantia inter se inuicem, nec etiam expellere vlla alia ab eodem loco, nisi aliquid aliud, vel intrinsecum, vel extrinsecum adueniat ipsi; tamen est aliquid absolute exigens connaturaliter immediate, & ratione sui illud aliud superaddi ipsi: substantia autem non exigit illud aliud sibi immediate superaddi, sed solum exigit illud mediate, quatenus scilicet exigit quantitatem; & idem est de qualitatibus.

Et si quæras, unde colligamus, quod substantia non sit illud, quod exigit illud connaturaliter: Respondeo, quia video quod qualitates ex mysterio Eucharistiæ habeant illud. Et si quæras: unde colligam, quod qualitates non exigant illud ex se connaturaliter: Respondeo, id colligi ex dictis in tertia impugnatione responsionis Nominalium n. 48.

Confirmatur hæc responsio, quia una forma accidentalis, verbi gratia calor, dicitur expellere formaliter frigus ab eodem subiecto, licet ex sua entitate absoluta præcise non sufficeret ad hoc faciendum, quandoquidem supernaturaliter posset esse simul cum frigore, quia exigit connaturaliter, ut Deus non conferret frigus in eodem subiecto, unde negatio illius conseruationis requiritur ultra calorem ad expellendum frigus: ergo similiter quantitas debet dici expellere formaliter alia ab eodem loco per suam entitatem absolutam, quamuis vltius requiratur negatio concursus diuini cum illis aliis, quæ expelluntur ad occupandum eundem locum, eo scilicet, quod exigit connaturaliter talem negationem. Ex quo etiam exemplo obiter patet, quod quantitas sit dicenda formaliter & non effectiue expellere alia ab eodem loco, sicut calor expellit frigus ab eodem subiecto formaliter & non effectiue:

Quantitas  
formaliter  
expellit  
alia à loco.

cuius etiam signum est, quod quamuis nihil prorsus efficeret quantitas occupans locum, sed solum conseruaretur ibi, mere passiue se habens, non admitteret secum aliam quantitatem magis, quàm calor in summo admitteret frigus in summo, de quo aliàs plura.

63. Ad primam confirmationem respondeo illam impenetrabilitatem non posse prouenire ab illis respectibus, neque enim vlla distinctio est inter respectus quoscumque, qui sunt in quantitate, siue partium ipsius inter se inuicem, siue in ordine ad partes loci, & respectus qui essent in substantia occupante similem locum absque quantitate, ex qua distinctione oriretur illa impenetrabilitas in quantitate potius quàm in illa substantia, nisi quatenus partes quantitatis fundantes tales respectus, sunt distinctæ rationis à partibus substantiæ; unde impenetrabilitas illa refundi debet in partes quantitatis, & non in tales respectus solummodo.

Ad secundam confirmationem non est, quod respondeam, quia solum vrgit Thomistas sic explicantes naturam quantitatis.

Ad illud quod addidi in fauorem Nominalium n. 60. Respondeo, quamuis posset ita responderi, melius tamen dici, quod non concurret Deus miraculose ad talem productionem, quia sine necessitate non est recurrendum ad miracula: non est autem vlla necessitas recurrendi ad illud miraculosum concursum, si dicatur adesse, sub illis speciebus subiectum, in quo calor posset produci.

64. Omisi data opera probare conclusionem per argumentum satis commune, quo vtuntur Complutenses, nimirum quantitas est accidens reale aptum natum inherere: ergo nequit identificari substantiæ, alias inhereret & non inhereret. Omisi, inquam, hoc argumentum, quia reuera petit principium, seu assumit, quod est probandum, nempe quantitatem esse accidens reale aptum natum inherere substantiæ, id enim negant Nominales, qui identificant quantitatem substantiæ.

Eandem etiam ob causam omisi aliud argumentum, nimirum quod quantitas spectet ad aliud prædicamentum à substantia: ergo non identificatur realiter substantiæ. Hæc enim consequentia negari debet ab omnibus, qui putant prædicamenta omnia non debere necessario distingui realiter: & sane illud principium, quod vniuersaliter tenetur à Scotistis, nimirum prædicamenta omnia distingui realiter, dependet partim ab hac alia conclusione; nempe, quod quantitas distinguatur realiter à substantia; unde qui negaret hanc conclusionem, negaret etiam illud principium.

#### QVÆSTIO IV.

De diuisione quantitatis ut sic in continuam & discretam.

65. Philosophus hoc capite diuidit quantum in illud, quod per se est quantum, & quod per accidens est quantum, omnes autem fatentur dari quantum per accidens, tale enim est quodcumque subiectum affectum quantitate, ut substantia materialis cui inheret quantitas, & quodcumque accidens præferim absolute, quod inheret quantitati. Deinde fatentur omnes, quod detur quantum per se, nimirum ipsamet quantitas, quæ est essentialiter talis, & à qua illa, quæ sunt quanta per accidens, habent esse talia formaliter. Sed difficultas tamen est quomodo possit vocari quantitas quantum, aut quanta: ratio autem dubitandi est, quod ly quantum videtur esse concretum adiectiuum significans pro formali quantitatem, & connotans materialiter subiectum, cui inheret quantitas. Quod si ita sit, certum est quantitatem non posse dici quantum, aut quid quantum, quandoquidem non sit subiectum, cui ipsamet adiaceat aut inheret.

Confirmatur, quia albedo non potest dici alba, nec vllum concretum potest dici formaliter de suo abstracto: ergo nec quantitas potest dici quanta.

Ad hanc difficultatem respondeo, ly quantum quando dicitur de quantitate, non esse concretum adiectiuum significans quantitatem adiacentem rei, de qua dicitur quod sit quanta, quia aliàs falsum esset quantitatem esse quantum

Alia pro-  
batio com-  
munis co-  
clusionis  
reducitur.

Datur quæ-  
tum per se  
& per ac-  
cidens.

Quomodo  
quantitas  
est quanta.

quantam; sed est concretum adiectivum significans vel actualem extensionem, quæ non est de essentia quantitatis; vel diuisibilitatem, seu aptitudinem ad extensionem actualem impenetrabilem, quæ est proprietas quantitatis.

Quantum  
est termi-  
nus equi-  
vocus.

66. Itaque ly *quantum* est æquivocum, & aliquando significat formaliter ipsum accidens, quod exigit extensionem impenetrabilem: & in hoc sensu non dicitur de quantitate, sed bene potest dici de substantia, in qua subiectatur illud accidens, & de qualitatibus etiam subiectatis in ipso; aliquando verò significat formaliter ipsam extensionem actualem impenetrabilem, aut aptitudinem ad ralem extensionem: & in hoc sensu potest vere prædicari de quantitate, nam quantitas est res, quæ illam extensionem & diuisibilitatem habet: potest etiam sic prædicari de substantia & accidentibus, quia habent etiam talem extensionem & indiuisibilitatem seu aptitudinem ad extensionem & diuisionem, sed cum hac differentia, quod quantitas per se secundo modo dicendi habeat illam aptitudinem, & consequenter sit in hoc sensu quanta per se, substantia verò & accidentia habeant illam aptitudinem per accidens, ratione scilicet quantitatis. Sicut ergo possit dici, quod calefactium possit diuidi in calefactium per se, quod esset ipse calor, & calefactium per accidens, quod esset subiectum affectum accidentaliter calore: ita potest diuidi quantum in illud, quod est quantum per se, id est aptum natum occupare locum impenetrabiliter, & in illud, quod est quantum per accidens, quod est illud, cui coniungitur quantitas accidentaliter. Existimo tamen hanc diuisionem non esse propriam diuisionem, sed enumerationem plurium rerum, quarum vni competit aliquid primum, & alteri ratione ipsius; id quod facile colligi potest discurrendo per omnes species propriæ diuisionis propositas in Summulis.

Ad confirmationem dico propterea albedinem non dici proprie albam, quia album solum significat proprie, ut supponitur, ipsam albedinem inherenter: quod si album significaret proprie formam segregatam visus, sicut albedo significat; tum etiam albedo posset dici alba, & sic etiam dicitur quandoque à bonis authoribus. An autem proprie ita dicatur, vel improprie, est quæstio de nomine; & hæc de hac diuisione sufficiant.

67. Aliam proponit eodem capite *Philosophus* diuisionem quantitatis ut sic in cōtinuam & discretam. *Quantitas continua* est illa quæritas, quæ habet partes extra partes copulatas & coniunctas termino communi, ut est quantitas vnius ligni, vnius aquæ, vnius lapidis. *Quantitas verò discreta* est cuius partes non copulantur termino communi, nec vniuntur realiter inter se, ut numerus trium hominum, quatuor lapidum, quinque fluuiorum.

Pro quo vterius *Adverte*, numerum ab authoribus duplicem assignari, transcendentalem, & prædicamentalem. *Numerus transcendentalis* est, qui constat ex rebus non quantitativis; seu ex vnitatibus talium rerum, ut est numerus ternarius Angelorum, quaternarius relationum binarius hominum, ut abstrahunt à quantitate: & hic numerus vocatur transcendentalis, quia non spectat ad vllum vnum prædicamentum, sed potest in quolibet reperiri: sunt enim plures substantiæ in prædicamento substantiæ, & plures relationes in prædicamento relationis, & plures qualitates in prædicamento qualitatis. *Numerus prædicamentalis* est, qui spectat ad prædicamentum quantitatis, & constat ex quantitativis, seu vnitatibus quantitativis, seu rerum affectarum quantitate, ut sic afficiuntur.

Quæritur ergo hic principaliter, an quantitas, seu numerus prædicamentalis, ortus ex pluribus quantis, seu ex pluribus quantitativis, sit vnum quid per se, directe collocabile in hoc prædicamento: si enim sit, admittenda est prædicta diuisio tamquam bona, vel generis in species, vel speciei in indiuiduasi non sit, non est admittenda prædicta diuisio tamquam talis.

## CONCLUSIO.

68. *Pro* abilius videtur quantitatem discretam non esse veram speciem quantitatis, ut sic, directe collocabilem in

prædicamento. Hæc est ex discipulis Scoti *Bassolia in 1. dist.* non est 24. vbi Scotus ipse est dubius, & *Euentis hic quæst. 15. dist.* vera species quantitat. *scilicet. 2. n. 14. ad finem; Conimbricensium c. 6. de Quantitate quæst. 2. artic. 1. Suaris disput. 41. Metaphys. sect. 1. n. 16. Auerse quæst. 18. sect. 2. & magis communis contra D. Thomam 1. par. quæst. 11. art. 1. & 2. Ruinum q. 6. de Quantitate; & multos alios tum Thomistas, tum Scotistas sequentes Scotum 5. Metaphys. q. 9. vbi probabiliter tenece oppositum huius conclusionis.*

*Probat*ur primo: numerus rerum quantarum non est aliquid vnum per se; ergo non est vera species, collocabilis per se directe in vlllo prædicamento, & consequenter quantitas non erit vera species. Vtramque consequentiam omnes concedunt; probatur antecedens, quia partes istius numeri non vniuntur inter se aliqua vnione reali; partes enim numeri ternarii hominum sunt tres homines, aut tres vnitates ipsorum, qui, ut patet, non vniuntur inter se aliqua vnione reali: ergo non faciunt vnum per se reale, sed vnum per accidens.

*Confirmatur*, quia si vniuntur aliqua vnione reali, non constituerent numerum, quia de essentia numeri est secundum aduersarios non habere partes vnitas, in hoc enim quantitas discreta, qualis est maximè numerus, differt à quantitate continua.

*Respondent* aduersarij ad vnum per se continuum requiri ut partes vniuntur realiter, non verò ad vnum per se discretum. *Contra*: non potest intelligi, quomodo illa, quæ reuera sunt multa, possint facere vnum per se vlla ratione, nisi vniantur.

69. *Dices* posse intelligi, si illa sint inter se ordinabilia per se. *Contra*: quamuis materia & forma sint per se ordinata ad constituendum vnum per se, tamen nisi vniuntur realiter, non possunt facere vnum per se: ergo ut aliqua multa faciant vnum per se, non sufficit ordinabilitas eorum ad inuicem, nisi vniantur actu vnione aliqua reali.

*Confirmatur*: quia si quis diceret quod materia & forma faciant vnum per se, quando non vniuntur, principium, quo improbaretur, esset quod vnum non potest fieri ex multis, nisi realiter coniungantur: ergo dicendum est quod nullum vnum per se possit fieri ex rebus diuersis, nisi vniantur realiter.

*Confirmatur secundo*: numerus transcendentalis non est vnum per se, ergo nec prædicamentalis, seu quantitativus numerus. Consequentia est evidens, quia eadem est ratio colligendi vnitatem per se in vtroque numero. Probatur antecedens, quia ex rebus diuersiorum prædicamentorum non fit vnum per se, sed numerus transcendentalis potest oriri ex rebus diuersorum prædicamentorum, tres enim vnitates trium albedinum & vna vnitas hominis faciunt numerum quaternarium transcendentalem, si considerentur absque quantitate. Denique numerus ternarius trium Angelorum, si esset vnum per se, deberet directe collocari in prædicamento substantiæ: sed hoc videtur absurdissimum: ergo non est vnum per se, & consequenter nec numerus ternarius trium quantitativum, aut trium quantorum erit vnum per se.

70. *Confirmatur tertio*, quia duo entia completa, etiam vnius prædicamenti, non possunt facere vnum per se, alias non essent completa, inde enim colligitur quod materia sit incompleta, quia est ordinata ad faciendum vnum per se cum forma: sed duo homines sunt entia completa, & ipsorum etiam quantitates: ergo non possunt facere vnum per se, & consequenter numerus ex ipsis resultans non est vnum per se.

*Sed contra hanc confirmationem* vrgentissima instantia adduci potest de duabus aquis completissimis, quæ possunt facere vnam per se aquam integram: ergo similiter duo quanta completa possunt facere vnum integrum numerum. *Deinde* in probabili sententia duæ completæ species distinctæ possunt constituere vnum per se tantquam partes essentielles; sic enim ex elementis formaliter remanentibus in mixto dicunt multi constitui mixtum. Neque hinc sequeretur, quod istæ species non essent completæ, sicut materia prima non est completa: quia non essent ita ordinatæ ex natura sua, quin sine vlla violentia possent

possent produci & conseruari naturaliter absq; eo quod constituerent illam speciem aliam, quam tamen possent constituere. Verum tamen est quod non possit intelligi quomodo fieret huiusmodi constitutio absque vnione reali, vt in probatione principali deductum est.

Quod etiam vltius *Confirmatur*, quia ideo aceruus lapidum non est vnum per se, quia partes eius non vniuntur vnione aliqua reali, nec ordinantur ad talem vnionem: sed sane æque vniuntur ac partes numeri, & æque ordinantur per se ad vnionem: ergo nec numerus erit vnum per se directe collocabile in prædicamento.

71. *Probat*ur secundo, quia vnum & multa opponuntur, ergo sicut quod est vnum, non est multa, ita quæ sunt multa non sunt vnum: sed multa quanta sunt multa: ergo non sunt vnum.

*Dices*: ea non esse vnum in illo genere, in quo sunt multa, verbi gratia in genere quantitatis continuæ, sed in alio genere, nimirum in esse quantitatis discretæ seu numeri. *Contra* sic possum dicere quod quodcumq; aggregatum per accidens, licet in aliquo genere sit multa & non vnum, tamen in genere aggregati erit vnum. Et hinc confirmatur conclusio, quia omnes rationes, quibus probatur, quod numerus viginti hominum sit vnum per se, etiam probant quod aggregatum viginti hominum sit vnum per se, quod est absurdum secundum omnes.

72. *Probat*ur tertio, quia vnum per se accidens debet habere aliquod vnum per se subiectum, ergo numerus ternarius hominum, si sit vnum per se, debet habere vnum per se subiectum; sed non habet, vt patet: ergo non est vnum per se.

*Dices*, antecedens esse verum, si accidens sit quid continuum, scilicet si sit discretum. *Contra*: sicut se habet vnum accidens continuum ad suum subiectum, ita vnum accidens discretum ad suum: ergo sicut vnum per se accidens, continuum petit vnum per se continuum, ita vnum per se accidens discretum petit vnum per se subiectum discretum: sed numerus ternarius hominum non habet vnum per se subiectum discretum: ergo non est vnum per se. *Probat*ur subsumptum, quia tres homines non faciunt vnum per se aliud quam vnum numerum: sed vt sunt subiectum numeri, non faciunt n. c. constituunt numerum: ergo vt sunt subiectum numeri, non sunt vnum per se.

*Confirmatur*, quia vt sunt subiectum numeri, non ponuntur directe in vilo prædicamento: ergo non faciunt vnum per se.

73. *Probat*ur quarto, specialiter contra quendam Scotistam recentiorum, qui concedit numerum materialiter, vt dicit istas entitates seu vnitates, ex quibus conlefcit numerus, non esse vnum per se, sed formaliter, prout dicit discretionem illam partium. *Probat*ur inquam contra ipsum, quia illa discretio non est nisi negatio continuationis, & frustra & absque vilo fundamento diceretur consistere in aliquo alio, quam in tali negatione, ergo numerus, vt dicit formaliter ipsam discretionem, non est per se collocabilis in hoc prædicamento, nec quantitas vt sic, quæ est accidens posituum absolutum, potest de eo prædicari in quid.

*Confirmatur*, quia in numero quaternario sunt quatuor discretionem, seu negationes, quia secunda vnitas discontinuatur à prima, tertia à secunda, & quarta à tertia: ergo discretio, qua constituitur iste numerus, non est vnum per se.

*Probat*ur vltimo, quia quamuis numerus trium hominum esset quid vnum per se, non deberet spectare ad prædicamentum quantitatis: ergo quantitas non bene diuiditur in quantitatem continuam & discretam, tanquam in species, & consequenter vera conclusio. *Probat*ur antecedens, quia eatenus esset spectans ad hoc prædicamentum, vel quatenus esset quid constans partibus: & hoc non, quia alias substantia & qualitates materiales spectarent ad hoc prædicamentum, vel quia constaret partibus impenetrabilibus. Sed si propterea spectaret ad hoc prædicamentum, numerus Angelorum non spectaret ad hoc prædicamentum, sed ad aliquod aliud: non vero spectat ad aliquod aliud: ergo.

74. *Obiicit*: Numerus est aliquid vnum per se habens

partes impenetrabiles: ergo est species quantitatis vt sic; quod autem sit distincta species à quantitate continua, patet, quia petit essentialiter partes dicere, quales non petit continua. *Probat*ur antecedens quia Arithmetica, quæ est scientia realis, demonstrat scientifice de ipso proprietates: partes autem, ex quibus componitur sunt quantitates continuæ, quæ sunt impenetrabiles: ergo est vnum per se habens partes impenetrabiles. *Probat*ur consequentia quoad primam partem, in qua est difficultas, quia scientia realis non potest habere pro obiecto aliquod vnum per accidens, de quo aliquid demonstrat: de vno enim per accidens, non datur scientia: ergo si Arithmetica, quæ est scientia realis, demonstrat de numero proprietates, numerus debet esse vnum per se.

75. Hoc est præcipuum aduersariorum fundamentum. *Respondeo* tamen negando antecedens, quoad primam partem, cum consequentia suæ probationis etiã quoad primam partem. Ad cuius probationem dico: ea ratione, quæ potest aliquid demonstrari de numero, posse demonstrari de quocumque aggregato per accidens, vnde si Arithmetica proprie demonstrat aliquid de numero, negandum est quod scientia realis non possit haberi de ente per accidens. Deinde certum est quod tot demonstrationes Arithmetice fieri possint tam bene de numeris diuersis Angelorum, ac etiam de numeris conflatis ex entibus diuersorum prædicamentorum, ac de numeris conflatis ex diuersis vnitatibus quantitatis, aut diuersis quantitatibus. Sed tamē aduersarii non dicunt numerum transcendentelem diuersorum Angelorum, aut rerum diuersorum prædicamentorum esse vnum per se: ergo ob illas demonstrationes non debent etiã dicere quod numerus quantitatiuus sit vnum quid per se.

*Dices* hoc esse contra expressa testimonia Philosophi & Scoti variis locis.

*Respondeo* eos intelligendos esse de ente per accidens materialiter, non formaliter: & sane hoc videtur mihi satis clarum, quia de quocumque potest haberi definitio potest haberi demonstratio: sed certum est quod ens per accidens habeat definitionem, vt est ens per accidens formaliter, quamuis de ente per accidens materialiter non possit haberi vna definitio, vt de albo & nigro, &c.

76. *Obiicit* secundo Philosophum, qui hic diuisit quantitatem in continuam & discretam, tanquam in veras species.

*Respondeo* quod hoc non fecerit in propria sententia, quasi existimaret numerum esse propriam speciem eius, sed quod ita communiter reputabatur, vnde in Metaphysica variis locis ait numerum esse ens per accidens.

Ex his patet orationem non esse per se speciem quantitatis, quia si esset, esset quantitas discreta, vt fatentur omnes. Quod si tamen numerus esset vna per se species quantitatis, tum cū *Scoto* & *D. Thoma*, quos sequitur *Rubius* q. 9. de quantitate, & alii contra quosdam, qui id concedunt de numero, negant autem de oratione, dicendum esset etiam orationem esse distinctam speciem quantitatis, præsertim si quantitas aliqua daretur, quæ esset successiua, haberet enim extensionem partium cum impenetrabilitate, & per hoc distingueretur à quantitate continua, & istæ partes essent successiue & non permanentes, ac per hoc distingueretur à numero. Vnde quemadmodum quantitas continua diuideretur in successiuam & permanentem, quantitas etiam discreta diuideretur in successiuam & permanentem.

*Obiicit* specialiter contra orationem: Nihil reperitur in oratione nisi sonus syllabarum, motus instrumentorum, quibus formatur oratio vocalis (de qua loquimur) tempus consumptum in prolatione eius, ordo syllabarum, & significatio totius orationis: sed ex nullo horum potest oratio esse quanta per se, sed tantum ratione alterius: ergo non est per se quantitas.

*Respondeo* negando maiorem, reperitur enim ipsa extensio syllabarum, secundum quam conuenit vni orationi ex natura sua intrinseca non posse proferri tam breui tempore materialiter, quam altera potest. Dixi autem, si quantitas aliqua daretur quæ esset successiua; quia si quantitas successiua non sit quantitas proprie loquendo, nec oratio etiã vera quantitatis species erit, quamuis numerus esset.

De

De ente  
per accidens  
formaliter  
potest haberi  
scilicet scien-  
tia.

Oratio nã  
est vera  
species  
quantitatis.